

omnium salvatore. Coram nobis . . prior fratrum Predicatorum ac . . ^{a)} gardianus fratrum Minorum domuum Argent(inensium) comparuerunt humiliter petentes, ut . . ^{b)} fratres, qui ad hoc electi fuerint, in civitate et diocesi nostra confessiones subditorum nostrorum confiteri sibi volencium audire libere valeant, et huiusmodi confitentibus — prout secundum deum expedire noverint — penitencias imponere salutare, atque eisdem absolucionis beneficium impendere, de nostra licencia, beneplacito, et consensu. Nos considerantes, quod suscepti regiminis cura exposcit, ut utilitatibus subditorum nostrorum providere sollicite curemus — in illis precipue, per que suarum saluti consulitur animarum —, considerantes etiam, quod in hac concessione seu licencia saluti animarum eorundem subditorum nostrorum multipliciter et salubriter providetur, petitioni eorundem . . prioris et gardiani in hac parte duximus annuendum, sic videlicet, ut fratres eorundem ordinum electi nobisque presentati ad tam salubre ministerium et officium exequendum in civitate et diocesi nostra tantum premissa: videlicet confessiones subditorum nostrorum confiteri sibi volencium audire libere valeant et huiusmodi confitentibus — prout secundum deum expedire noverint — penitencias imponere salutare atque eisdem absolucionis beneficium impendere, ipsis ex gracia prout potuimus — maxime iure novo²⁰⁰⁾ — concessimus, indulsimus, et presentibus indulgemus. Et ut tam salubris presens nostra concessio per quempiam impediri non valeat, et ut effectum debitum consequatur, tenore presencium vos rogamus et hortamur attente, nichilominus districte precipiendo vobis et cuilibet vestrum mandantes, quatenus pro divina et apostolice sedis reverencia atque nostra predictos fratres sic electos et per nos admissos affectu benivolo commendatos habere velitis, nec eisdem fratribus difficiles, duros, et asperos vos reddatis, sed potius favorabiles, propicios, et benignos, cum ex hiis premium eterne beatitudinis augeatur et animarum salutis incrementa felicia procurentur. Dat(um)^{c)} XIII^o kalen(das)^{d)} Marcii anno domini M^o e) CCC^{mo} decimo nono.

a) fehlen Reverenzpunkte A2 b) fehlen Reverenzpunkte A2 c) datu(m) A2 d) kln mit Kürzungsstrich A2 e) millio mit Kürzungsstrich A2

²⁰⁰⁾ Das dürfte auf die Erneuerung der Bulle *Super cathedram* Bonifaz' VIII. auf dem Vienneser Konzil mit der Konstitution *Dudum* anspielen (in Clem. 3.7.2; ed. Friedberg 2, 1161—1164. = Conc. Oecumen. Decreta, ³1973, S. 365 ff.); vgl. auch oben S. 101.